Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1001
Quelle:
Copyright:

ſtolorum, quem ſequitur *Tractatus ejusdem ſuper dominicam orationem*, demum *Tractatus ejusdem de fide ex ſymbolo Athanaſij*. Primus incipit: *Apoſtolice doctrine ſententia tam fidem quam fidei confeſſionem nobis commendans corde ait creditur ad iuſticiam ore autem confeſſio fit ad ſalutem* &c. Ait, fidei Symbolum ab Eccleſia compoſitum, et mox: *ipſorum creditur eſſe apoſtolorum iuxta numerum eorum totidem ſententiis comprehenſum*. Citat *Hieronymum* et *Auguſtinum*, et diſtinguit inter *Credere in Deum*, *Credere Deo*, *Credere Deum*, quam diſtinctionem habet quidem *Bernhardus Serm.* 45. *de Diverſ.* T. III. *col.* 1181. habet vero etiam *Nicolaus Claraeval.* T. V. *col.* 718. in *Serm. de S. Andrea.* Tractatus ſecundus incipit: *Multorum legimus orationes ſicut Moyſi uel aliorum* &c. Lepida hic expoſtulatio e Graecorum ignoratione orta. Male habet Autorem, quod *uerba quedam Mathei ab oratione dominica ſubtrahantur, et uerba luce apponantur, qui non eam ab ipſo domino audiuit ſed a paulo didicit, qui nec illi ſermoni interfuit. Vbi enim matheus dicit panem* ſuperſubſtantialem, *lucas ponit panem* cottidianum, *et ubi ille dicit* cottidie, *iſte dicit* hodie &c. Quaſi vero non uterque utatur vocabulo ἐπιουσιον, et non *Matthaeus* potius habeat σημερον, *Lucas* vero καθ' ἡμεραν. Tractatus tertius incipit: *Ante omnia. ante ſpem et caritatem. uel cetera bona quibus ad uitam eternam peruenitur* &c. Breves ſolummodo ſtricturae ſunt in *Athanaſii Fidem*. Quibus conſideratis, ut has Expoſitiones, ſilentibus omnibus, *Bernhardo* tribuere non auſim, ita miror, tam brevi poſt illum tempore jam fucum fieri, eique aliena ſubponi potuiſſe. *Fol.* 143. *Sermo beati Bernhardi abbatis In aduentu domini de uirgine glorioſa atque regina celi et terre* tribuitur edit. T. V. *col.* 565. *Nicolao Claraevall.* in cujus initio: *Exultate fratres in domino, quia de domina illa* prave impreſſum eſt: *de Dominica illa.* Eidem tribuitur *col.* 574. *Sermo de ſancto Stephano*, nobis *fol.* 147. *Bernhardo* inſcriptus et incipiens: *Adhuc filium uirginis habemus pre manibus* &c. *Fol.* 149. *Sermo beati Bernhardi abbatis in ramis palmarum*, Editoribus ignotus, mihi eo autore ſane dignus videtur. Init vero: *Dauid futura ſpiritu previdens, liberavit, inquit, dominus pauperem de potente, et pauperem cui non erat adiutor. Non enim omnium eſt ſcientia. Ignorant aliqui pauperem iſtum, ignorant potentem illum. Scientes hortamur, ignorantes inſtruimus. Pauper iſte eſt primus parens noſter et eius ſucceſſio. Potens ille diabolus eſt. Primus parens in paradiſo diues, extra pauper. Liber ante culpam, ſeruus in culpa* &c. Finis eſt: *cum odore uirtutum in iudicio currere ſatagite, ut eum laudare, cum eo regnare ualeatis, qui uiuit* &c. *Fol.* 152. *Sermo beati Bernhardi abbatis in uigilia natiuitatis domini.* Incipit: *Hodie de mari ad portum* &c. et in *Tiſſerii Biblioth. Ciſt.*